





Mosheim / Joh: Laur: / Diss. de Ecclesia  
Christi, Helmst: 1740

v. Fassij / Christoph: Matth: / Diss.  
de Coelo Beatorum, Tubinge  
1722

Reudenij / Ambr: / Theses de  
Symbolo Apostolico, Jene  
1589

Diss. de Deo ac tribus  
personis, Jene 1589.

25

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
DEMONSTRATIVA  
SCRIPTURAM SACRAM  
INTERPRETANDI  
METHODO

---

QVAM  
PRÆSIDE  
VIRO MAGNIFICO  
JON. CONR. SCHRAMMIO  
S. S. THEOL. D. ET P. P. O. CELEBERRIMO  
ACADEMIÆ JULIÆ NVNC VICE-  
RECTORE

AD D. APRILIS MDCCXXIIX.  
*IN JULEO MAJORI*

PVBlice DEFENDENDAM SVSCIPIET  
AVTOR RESPONDENS  
DAVID GEORGIUS LVNDE  
OSTERODA-HANNOVERANVS  
S. S. THEOL. ST.

---

HELMSTADII  
Apud PAVLVM DIETERICVM SCHNORRIVM  
ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
DEMONSTRATIVA  
SCIENTIARUM SACRARUM  
INTERPRETATIONIS  
METHODO

---

AVTOR  
FRANCO  
JON. CONR. SCHARAMMO  
S. S. THEOL. D. ET P. P. O. CELEBRISSIMO  
ACADEMIAE PALATIAE VIENNENSIS  
PROFESSORE

AD D. APRILIS MDCCXXIX  
IN AUSTRO-MARITIMA  
PUBLICE PERORANDA  
AVTOR RESPONSURUS  
DAVID GEORGIUS JÜNDE

PROFESSORIS HANNOVERANENSIS  
S. S. THEOL. P. P. O.  
ALMA MATER  
AD D. PAVLUM DIETRICUM SCHARAMMO  
ACAD. THEOL.





S. I.



Dissertationem de methodo demonstrativa interpretandi S. S. conscribere atque usum hujus methodi possibilem evincere, cum mihi proposuerim, non minus Demonstrationem Spiritus S. quàm Fidem primum Theologiæ Revelatæ *κερήγειον* è I. Cor. II. 4. 5. ubique supponam; siquidem hæc duo non excludunt ordinem cognitionis, in totâ rerum natura adhibitæ, nec invertunt. At congruum fore fini proposito arbitror, ut primum tradam notionem methodi demonstrativæ distinctam in genere, ejusdemque & methodi probandi probabilis breviter ostendam differentiam; deinde, ut ex iis, quæ in genere de methodo demonstrativa dicta sunt, affectiones methodi demonstrativæ interpretandi S. S. eruam; denique ut utilitatem hujus methodi in interpretatione S. S. demonstrarem atque commendem, hæc vero ut modo certiori atque curatori per-

A 2

qui



qui queam, non adhibebo verborum varietatem, in qua oratores styli elegantiam ponunt, sed constantia in scribendo utar, ut certitudo & veritas thesium eo melius, atque distinctius perspiciatur. Faxit divinum Numen, ut dicenda ad illustrationem, gloriamque ejus tantummodo faciant, aliosque incitent, ut cum cura ac diligentia ad S.S. interpretationem accedant, & verum divini sermonis sensum successu secundo inveniant.

§. II.

Ad rem ipsam igitur quod attinet, methodum in abstracto consideratam dico modum disponendi ac proponendi veritates. a)

§. III.

Demonstratio b) vero Philosophis est series propositionum c) inter se ita connexarum, ut de earundem veritate, dum recte attendimus, convincamur. d)

§. IV.

- 
- a) Plura quondam de Methodo Owenus GÜNTHERVS duob. Tractatibus Methodorum, continentibus totius Artis Logicæ Medullam, facultatem nempe omnium scientiarum ac Demonstrationum principia inveniendi, dijudicandique, Helmst. 1786. 8. Alios etiam suppeditat SPAACH. Bibl. Philos. p. 247.
  - b) Præter alios hic de Demonstratione citandum duximus Erhard. WEIGELIVM, in Analyfi Aristotelicâ ex Euclide restitutâ, ubi doctrinam totam de Demonstratione methodo mathematicâ tradere conatur, Jen. 1658. 4.
  - c) Quid propositio sit, tanquam rem notissimam ex Logicis hic suppono, cum ea tantum persequendi mentem induxerim, quæ præcipue ad scopum nostrum faciunt, interim præter ceteros Logices scriptores conferri merentur Celeb. WOLFFIVS in Logica cap. 3. Nec non Summe Ven. BVDDIVS in Philos. infr. p. 108. seqq.
  - d) Non quidem hoc per se ad Demonstrationem requiritur, sed finis tamen ejus est, & principium, unde profluit, & si cetera rectè



§. IV.

De veritate propositionis cujusdam convincimur, quando cognoscimus illud, per quod propositio determinatur sufficienter; e) id, per quod aliud determinatur, dicitur Ratio, quæ si sufficit ad intellectum rei determinandæ, Rationis Sufficientis nomine venit; ergo de veritate alicujus propositionis convincimur, quando cognoscimus ejus rationem sufficientem, sive eam habere rationem sufficientem.

§. V.

Id quod continet rationem alterius in se, dicitur principium, quod si continet rationem, quæ sufficit ad intellectum rei determinandæ, principium certum est. Quæ si cum dictis §. 4. comparantur, in manifesto ponunt, nos convinci de veritate alicujus propositionis, si cognoscimus eam contineri in principiis certis. f)

§. VI.

Demonstratio igitur cum sit series propositionum ita connexarum, ut de earundem veritate convincamur, (§. 3.) de veritate propositionis autem cum convincamur, si cognoscimus eam contineri in principiis certis, (§. 5.) sequitur demonstrationem esse seriem propositionum tantâ evidentiâ inter se connexarum, ut cognoscamus, eas contineri vel in uno, vel & simul in pluribus principiis certis. g)

A 3

§. VII.

- 
- rectè se habeant, per Demonstrationem producitur. Multum enim interest, quomodo Interpres ipse comparatus sit. Conf. Disp. D. BVDD. de Idon. Sacrar. Literar. Interprete, Jen. 1720.
- e) Non ergò ubique Rerum Evidentiæ requiritur, sed solum Evidentiæ Nexus seu Determinationis sufficientis. Aliam enim Mysteria non admittunt. Hoc præcipuè docere solent autores, qui de Usu Rationis in Theologiâ, v. gr. D. MVSÆVS Tr. pec. de Usu Principor. Rat. in Theolog.
- f) V. gr. etiam à solâ Autoritate Divinâ desumtis.
- g) Principium vel Complexum est, v. gr. Integra aliqua Propositio; vel Incomplexum, v. gr. Simplex Terminus, ut est Scriptura Sacra.

## §. VII.

Connexa porrò sunt, quorum unum continet rationem alterius in se. Ergo in Demonstratione una propositio contineat rationem alterius in se, (§. 3.) & propositiones contineantur ultimato in principiis certis. (§. 6.) h)

## §. IIX.

Id quod continetur in principiis dicitur conclusio, Ergo in demonstratione conclusiones connexæ sunt cum principiis certis, & conclusiones inter se invicem, sive demonstratio est conclusionum series, inter se & cum principiis certis connexarum. (§. 6. 7.)

## §. IX.

Connexio talis fit per Syllogismos, ut ex Logicis constat, ita, ut Syllogismi inter se invicem connectantur, vel ut quæ in priori Syllogismo fuit conclusio, in sequenti in locum alterius præmissarum ponatur, ubi loco principii assumitur, ex quo nova concluditur propositio, quæ rursus conclusionis nomine venit, i)

## §. X.

Demonstratio igitur est conclusionum series per Syllo-

---

h) Nempè vel remotiori, vel propinquiore nexu, at certo saltem atque immutabili. Quò refertur doctrina de usu & Imputatione Consequentiarum è Scripturæ verbis elicitarum, de quibus PFAFF. KLAUSING. TVRRETIN.

i) Hæc itidem mihi videntur notissima, nec hic ulteriori explanatione indigent. Conf. verò Celeberrimus WOLFFIUS in Logica Cap. 4. idem in Metaph. §. 346. seqq. Nec minus Summe Venerabilis D. BVDDIUS in Philosophiâ Instrum. p. 140. seqq. aliique, qui cum HONOLDO, FINKIO, de Argumentatione Syllogistica in specie, vel in genere de Modo Argumentandi, tam apud veteres, quam apud recentiores usitato, ut est D. SCHNEIDER. Disput. Hal. 1699. M. WIDEBVRG. de Variis Disputandi Modis, Helmst. 1711.



logismos cum principiis certis connexarum. (§. 8. 9.)  
 Constat autem, si conclusionem cum principiis certis per  
 Syllogismos connectere volumus, præmissas priorum Syl-  
 logismorum debere continere principia certa, ex quibus  
 eruitur iudicium discursivum five conclusio, quæ loco prin-  
 cipii deinde assumitur, ut inferatur ex illo, donec ad con-  
 clusionem venitur, quæ erat demonstranda. k)

§. XI.

Principia certa in scientiis sunt definitiones, propo-  
 sitiones despotica, axiomata, postulata, & experientia  
 clara.

§. XII.

Definitio est oratio qua rei sub suo genere collocata  
 affectiones exprimuntur necessaria.

§. XIII.

Propositio despotica est, quæ ab omni cognoscente si-  
 ne demonstratione admittitur, e. g. impossibile est idem si-  
 mul esse & non esse. l)

§. XIV.

Axioma est propositio theoretica, ex unâ definitione  
 in se considerata deducta, e. g. principia continent ratio-  
 nem rerum in se, quia ista sunt principia, quæ continent  
 rationem rerum in se.

§. XV.

- 
- k) Ex falsis quidem & incertis demonstrationes neclere licet. Sed  
 ut à potiori fit denominatio, ita hoc loco quoque progressum  
 à principiis veris ac certis docemus & de Demonstratione in sensu  
 proprio & historici loquimur. Deinde etiam certitudo maxime  
 quaerenda in connexione conclusionum cum suis principiis.
- l) Si Demonstrationes hic postulantur, illæ solum, κατ' ἀνθρώπων  
 sunt, & πρὸς τὸνδε.
- m) Differunt à Thesis Axiomata, quod hæc magis universalia  
 sint, illæ saltem in certo genere disciplinarum obtineant.

§. XV.

Postulatum est propositio practica, ex una definitione in se consideratâ deducta. n)

§. XVI.

Experientia est cognitio rei, ope sensuum acquisita, ex observatâ similitudine. o)

§. XVII.

Demonstratio itaque cum sit series Syllogismorum inter se connexorum, in quorum primis præmissis continentur principia certa, (§. 10.) principia certa autem cum sint propositiones despoticæ, definitiones, axiomata &c. (§. 11. seqq.) Sequitur demonstrationem esse seriem Syllogismorum inter se ita connexorum, ut primæ præmissæ contineant aut propositiones despoticas, aut definitiones, aut Axiomata, &c. Observandum autem est, in demonstratione non semper exprimi integros Syllogismos in forma, sed tantum Enthymemata, ejusmodi vero propositiones omitti, quæ ex anterioribus distincte satis cognoscuntur, & à lectore facili negotio in memoriam revocantur. p)

§. XIIX.

Ex præcedenti facile colligitur, quid sit demonstrativum, illud scilicet, quod per Syllogismos cum principiis certis connectitur. (§. 7.)

§. XIX.

- 
- n) Quibusdam sunt hypotheses; quæ ut plurimum Mathematicorum sunt. In Scripturâ S. autem itidem obvix, v. gr. in Chronologicis, Geographicis, quin & in rebus fidei ac morum.
- o) Nempe ope Inductionis, & Argumentationis Exemplaris, de quâ D. NIEMEIERVS Disp. Helmst. 1694.
- p) Enthymema aliàs dicitur quoque Syllogismus, constans ex verosimilibus & signis. Sed hoc sensu hic non sumimus. Vid. Disp. M. HEINII de Mod. Enthym. in Orationib. adhibendi, Helmst. 1711.

## §. XIX.

Methodum (§. 2.) definivimus per modum disponendi veritates; hinc elucet, methodum demonstrativam esse modum disponendi veritates, ut istæ cum principiis certis connexæ appareant. (§. 18.) q)

## §. XX.

De veritate alicujus propositionis convincimur, quando cognoscimus eam habere rationem sufficientem. (§. 4.) Cujuslibet igitur rei cum certi reddamur, cognitione rationis ejusdem, omnia nobis videntur similia veritati, quando cognoscimus, ea habere rationes; quod si, easdem sufficientes esse, denique nobis clarè representamus, ipsam esse veritatem, agnoscimus, & convincimur. Hinc ea quorum

B

qui-

- q) Recte distinguunt Philosophi inter methodum demonstrativam Syntheticam & Analyticam. Synthetica nominatur, quando dispositio veritatum incipit à principiis, & progreditur ad conclusiones, Analytica vero quando dispositio veritatum incipit à conclusionibus, & progreditur ad principia. E. g. probanda mihi esset propositio: *Ego existo*; & quidem methodo demonstrativa Synthetica, hoc ita fieri posset: Quodcumque ens sui ipsius aliarumque rerum actu conscium est, illud existit,

Atqui Ego &c.

Ergo existo;

probavi hac ratione existentiam meam, & quidem methodo demonstrativa synthetica. Methodus enim demonstrativa cum sit modus disponendi veritates, ut istæ cum principiis certis, qualia e. g. sunt Axiomata, (§. 11.) per Syllogismos connexæ appareant, ego cum disposuerim veritatem: *Ego existo*; ita, ut appareat connexa cum principiis certis, Axiomate scilicet, quod latet in majore, & experientia, quæ latet in minore, connexio cum facta sit per Syllogismum, perspicuum est, me methodo demonstrativa probasse: *me existere*, quia vero veritates ita disposui, ut à principiis progrediar ad conclusionem, elucet, me methodo demonstrativâ Syntheticâ probasse: *me existere*. Methodi Analyticæ casum specialem jam omitto, curatilis inveniri possit in Logica THYMMIGII p. 26.

quidem rationes, sed non sufficientes nobis notæ sunt, dicuntur vero similia sive probabilia. r)

### §. XXI.

Quoniam porrò ad determinandam veritatem alicujus rei rationes requiruntur, & istæ rationes cognosci debent, quando de veritate alicujus rei, ut convincamur, cupimus, (§. 4.) eapropter tales rationes requisita veritatis dicuntur à Philosophis; quæ omnia simul sumta rationem sufficientem indicant, quædam adesse dicuntur, si quædam veritatis rationes adsunt. Cum autem de veritate alicujus rei convincamur, quando cognoscimus ejus rationem sufficientem, (§. 4.) ratio sufficiens veritatis cum adsit, quando requisita veritatis simul sumta adsunt, sequitur nos convinci de aliquâ veritate, quando omnia ejus requisita cognoscimus; & contra probabilem aliquam rem esse, cum sciamus, quando quasdam veritatis rationes adesse cognoscimus, (§. 20.) patet, nos probabilitatem alicujus rei cognoscere, quando quædam ejus requisita nobis innotuerunt. Ex quibus dictis haud obscure quoque perspicitur, eò majorem dari probabilitatem, quò plura veritatis requisita adsunt. s)

### §. XXII.

Principium dicitur id, quod continet rationem alterius in se, (§. 5.) rationes, quæ determinant veritatem, cum eadem sint, ac requisita veritatis, sequitur, principia veritatum esse ea, quæ continent requisita veritatum in se; porrò cum principia certa sint, quæ continent rerum rationes sufficientes, (§. 4. 5.) ratio sufficiens autem alicujus veritatis cum nomine requisitorum veritatis simul sumtorum veniat, (§. 21.) clarum exinde est, principia certa veritatum continere omnia requisita veritatis in se; evidens è con-

- 
- r) Hinc opinionum Varietas, de quâ Disp. D. KOCH Helmst. 1707.  
 s) Hanc differentiam distinctius profequitur B. Henr. WIDEBVRG. Disp. de Syllogismo Dialectico, Helmst. 1685.

è contrario est, quædam requisita veritatis tantum adesse, dum principia nonnullas solum rationes continent; (§. 21.) quia igitur quædam veritatis requisita nonnisi verosimilitudinem pariunt, (§. 21.) in manifesto est, ejusmodi principia tantum principia probabilium esse. t)

§. XXIII.

De veritate alicujus rei convincimur, quando cognoscimus ejus rationem sufficientem, (§. 4.) aut eam contineri in principiis certis, (§. 5.) verosimilis vero nobis res fit, quando quædam requisita veritatis cognoscimus, (§. 21.) cum igitur alteri veritatem demonstrare dicamur, quando ei ob oculos ponimus, eam contineri in principiis certis, (§. 6. seqq.) ex analogia liquet, alteri rem aliquam verosimilem fieri, quando ei ostendimus, eam connecti cum requisitis veritatis quibusdam u) aut principiis probabilium. (§. 7. 22.)

§. XXIV.

Veritatem quandam connecti cum his vel illis principiis certis, Syllogismorum nexus patefacit, (§. 7. seqq.) hinc cum & verosimilitudo ex suis veritatis cognoscatur requisitis, (§. 23.) ex verosimilitudinis cum veritate in hisce similitudine facile colligitur, cum principiis probabilium conclusiones probabiles connectandas esse per syllogismos, si alteri ostendere volumus probabilitatem alicujus rei aut propositionis. x)

B 2

§. XXV.

- t) Loquimur hîc de Veritate cognitâ. Nam aliàs in se vera esse possunt, quæ nonnullas solum rationes nobis continere, atque hinc probabilium saltem principia esse, videntur.
- u) Scilicet Rationem sufficientem non habentibus. Aliàs unicum etiam Veritatis requisitum, in quo ratio sufficiens inest, ad eam eliciendam sufficit. v. gr. Quæcunque Substantia est ab æterno, ea est verus Deus. Filius Dei &c. E. Vbi à ceteris Divinitatis requisitis tantisper animum abstrahimus.
- x) Hinc Syllogismus etiam dicitur Dialecticus, de quo supr. citavimus B. WIDEBVRG.

## §. XXV.

Clarum igitur est, methodum reddendi aliquam rem probabilem nihil aliud esse, quam modum ita disponendi conclusiones cum quibusdam earum veritatis requisitis, ut istæ cum his connexæ appareant, y) (§. 2. 19. & 24.) aut quod idem est esse modum connectendi conclusiones per syllogismos cum principiis probabilium. (§. 22. 24.)

## §. XXVI.

Perspicitur itaque facili negotio, demonstrativam methodum in eo consentire cum methodo probabilium, quod utraque connectat conclusiones cum principiis per syllogismos, (§. 19. 25.) in eo autem dissentire quod in methodo demonstrativa primæ syllogismorum præmissæ sint principia certa, (§. 17. 19.) quæ in methodo probabili sunt tantum principia probabilium. (§. 25.) z)

## §. XXVII.

An vera sit propositio, an probabilis, ex eorum requisitis sive rationibus dijudicandum est, (§. 4. seqq. 20. seqq.) cum igitur vera ac certa sit, quando omnia requisita veritatis adsunt, (ibidem), verosimilis ac probabilis, quando nonnulla, (ibid.), evidens est: omnes conclusiones, licet in infinitum deductæ, quatenus eas connexas cognoscimus cum ratione sufficiente, aut principiis certis, (§. 4. seqq.) esse certas ac veras, contra omnes conclusiones, quatenus cum prin-

- 
- y) Hic verbum apparere aliter sumitur, quam in §. 19. ubi Methodi Demonstrativæ eadem affertur Descriptio. Illic enim idem est ac manifestum esse, hic idem, quod speciem exhibere. Illic connexio apparet sufficiens, hic insufficientis.
- z) Hinc & Connexionem cum Conclusionē, non aliam, quam insufficientem saltem & apparentem indicantia. Ceterum Convenientiam ac Differentiam inter Certa ac Probabilia ostendit etiam PICCARTVS in Isagog. c. IV. & ad h. l. DVRRIVS.

principiis probabiliū eas connexas perspicimus, esse verosimiles, & probabiles. (§. 20. seqq.) a)

### §. XXIX.

Cum è sufficientiâ requisitorum veritatis gradus probabilitatis cognoscatur, (§. 21.) merito inquirendum est, quot requisita requirantur ad determinandam veritatem alicujus rei, ut exinde perspici queat, quānam multitudo requisitorum veritatis propior accedat ad omnia requisita veritatis, & quā majorem probabilitatis gradum determinet, per consequens, quānam res sint magis & minus probabiles. e. g. Scirem Titium die Dominica certò iter facturum esse; ut ergò scirem omnia requisita, quæ requiruntur ad veritatem & certitudinem hujus itineris determinandam, (§. 4. seqq. 21. seqq.) præsuppono præter causas itineris omnes in Dominicam relatas, nihil ultrà ad certitudinem itineris Titii requiri, quam ut sit tempestas bona, sanitas Titio integra, ut si pedibus iter conficere nequeat, equum aut currum mutuo accipiat, & nulla alia impedimenta ipsi occurrant; si cognoscerem, hæc omnia requisita actu adesse, tunc scirem simul Titium certo iter facturum esse die Dominica, (§. 21. seqq.) ast si tantum quædam ex hisce requisitis adesse scirem, e. g. sanitatem Titii, tempestatem bonam, equum, nescirem autem, an alia ipsi oblata fuerint impedimenta an minus, quædam tantum adessent itineris Titiani, non omnia requisita, & consequenter iter Titii verosimile & probabile solum mihi esset, (§. 21.) verosimillimum autem

- a) Vna igitur propositio in demonstratione sive serie conclusionum connexarum cum principiis certis sufficit hac ratione ad intellectum alterius conclusionis determinandæ, consequenter continetur in ea ratio sufficiens alterius conclusionis, certumque est principium (§. 4. seqq.), non tamen per se, sed quia illa sufficienter determinata est à principio quodam certo strictius sic dicto.

tem quia plurima requisita cognoscerem, ac modo unicum ignorarem. Sed si non solum nescirem, an alia impedimenta Titio obviam venerint, sed & ignorarem Causas præcipuas, item an integra Titio sit valetudo, pauciora haberem veritatis requisita, & minus probabile iter Titii mihi esset, plura enim veritatis requisita deessent. (§.21) b)

§. XXIX.

Requisita ex circumstantiis rerum petuntur, de quibus vero hic differendi animus non est, cum talia scopus præsens non poscat, quantum autem finis propositus requirit, tantum brevibus infra tradam.

§. XXX.

Oratio est series verborum inter se connexorum.

§. XXXI.

Verba sunt signa quibus alteri ideas meas significo; ideas suas alteri significare nihil aliud est, quam in mente alterius easdem excitare ideas, quas nosmet ipsi habemus. c) Ergo verbis in mente alterius easdem excitare cupio ideas, quas ipse habeo, ergo verba ita comparata esse debent, ut in alterius mente eadem ideæ per ea excitari possint, quæ in nostro sunt animo, per consequens sub verbis, tanquam

- 
- b) In Practicis hanc certitudinem determinare longè difficillimum est, quin propter Libertatem Voluntatis ne quidem fieri potest. Etiam si enim ponas omnia ad agendum requisita, tamen illa agere potest, & non agere. Vnde maxima hic tantum sufficit Verisimilitudo, & hinc Requisite pleraque.
  - c) De signis quibus res significamus, & vi naturæ suæ talibus, & ex impositione, jam olim commentatus est AVGVSTINVS de Doctrina Christiana Lib. 2. ubi cap. 1. 2. hanc materiam tractat & cap. 3. de verbis tanquam signis agit. Ex recentioribus hanc rem solide & erudite pertractavit Celeb. WOLFFIVS in Metaphysica, §. 291. seqq.



quam signis idearum, idearum determinatarum contineantur necesse est.

§. XXXII.

Cum oratio sit series verborum; (§. 30.) verba cum sint signa, quibus in alterius mente ideas meas excitare volo, (§. 31.) sequitur, orationem esse debere aptam ad excitandas in alterius mente ideas, quas nos habemus. (§. 31.) d)

§. XXXIII.

Idea est rei in mente representatio, verba continere debent ideas determinatas; Ergo quodlibet verbum debet continere determinatam entis in mente representationem.

§. XXXIV.

Oratio est series verborum; (§. 30.) Ergo oratio debet continere ideas determinatas, sive determinatas rerum in mente representationes. (§. 31-33.)

§. XXXV.

Determinatum est illud, quod præcise sic & non secus affectum est, oratio debet continere ideas determinatas; (§. 34.) Ergo oratio debet continere ideas, unico præcise modo & non secus affectas. (e)

§. XXXVI.

Complexus idearum, qui continetur sub oratione, dicitur sensus orationis; idearum sub oratione contentarum unico præcise modo, & non secus debent esse affectæ, (§. 35.) Ergo

d) Conferri meretur, quæ brevibus differit de hac re GLASSIUS in Philol. Sac. Lib. 2. Part. 1. p. 247. edit. 3., item AVGVSTINVS loc. cit.

e) Hic conf. præcipue Disp. M. OLDERMANNI de Imperfectione Sermonis Humani, Helmst. 1709. Multa enim sunt, quæ inde pendent, cum ex parte loquentium, tum ex parte audientium.

Ergo sensus orationis non aliter debet esse affectus, sive debet esse unicus. f)

### §. XXXVII.

Verba sunt signa idearum, & quidem arbitraria, siue talia, quæ ex arbitrio hominum cum ideis conjuncta sunt; g) (ex §. 32. &c. 34. &c.) inde patet, orationis esse, ideam quandam determinatam in mente lectoris vel auditoris per verba excitare. Ergo lectori notum esse debet, quasnam ideas orator cum verbis tanquam signis arbitrariis conjunxerit. Hoc vero aliter fieri non posse, nemo negabit, quam si vel Autor definitionem verborum orationis addat, siue explicet, quales ideas cum verbis suis conjunxerit; vel cum verbis orationis suæ easdem connectat ideas, quas alii cum iisdem connectere solent, & hoc ultimum quidem dum fit, nullas supponere potest Autor cum verbis connectendas ideas, quam illas, quæ in nobis oriuntur, quando ipsas res ope sensuum nobis præsentem repræsentamus, hoc enim modo acquirimus nobis ideas rerum. (§. 23.) h)

### §. XXXIIX.

Oratio est series verborum inter se connexorum, (§. 30.) sub verbis continentur idea, (§. 31.) Ergo una idea sub verbo contenta debet continere rationem alterius in se, (§. 7.) per consequens idea nota, quæ continetur sub uno verbo, determinat ideam ignotam, quæ sub altero verbo comprehenditur, (§. 4.) Ergo idea sub uno verbo com-

- 
- f) Huc spectant, quæ ab ARISTOTELE primum Libr. de Interpretatione, notata sunt, quatenus ea in omnibus linguis etiam si diversissimis, nec obstantibus harum idiotismis, obtinent. Suntque Affectiones Sermonis Generales & Univerſales.
- g) De verbis tanquam signis arbitrariis & eorum affectionibus vid. Celeb. WOLFF. Metaph. §. 294. seqq.
- h) Vid. WOLFFII in Logica Cap. I. §. 5. & ex veteris Ecclesiæ doctoribus Augustinus de Doctr. Christ. lib. 2. cap. 3.

prehensa efficit, ut altera idea sic & non secus affecta sit. (§. 35.) i)

### §. XXXIX.

Connexio in oratione locum habet, ita ut vel connectantur verba hac ratione, ut unum contineat ideam entis, de quo aliquid dicitur, quod subjecti nomine venit, alterum ideam ejus, quod de aliquo ente dicitur, vel prædicati; quod subjectum & prædicatum, quando connectuntur, propositionem constituunt, & hoc facto aut idea subjecti determinatur ab idea prædicati, aut idea prædicati ab idea subjecti; k) vel connectantur integræ propositiones, ubi unius interdum propositionis ideæ determinant ideas alterius. (§. 38.) l)

### §. XL.

Ex §. 37. manifestum est, orationem rite compositam vel connectere debere eas ideas cum verbis, quas alii cum iisdem connectere solent, ut cum dico: Deus est sapientissimus; cum hisce verbis connecto ideas omnibus communes; m) vel adponere debere orationis autorem definitionem, e. g. Diabolus est prudens; ubi intelligo per prudentiam habitum astute aliquid excogitandi atque agendi; n) vel ita connectendam esse orationem, ut unum verbum vel propositio determinet sensum alterius, (§. 38. 39.) v. c. Coridon est sapientissimus; ibi idea subjecti determinat ideam prædicati, cum enim neminem fugiat, Coridonem esse hominem, hominem esse ens finitum, enti finito non competere summum

C

per-

- i) Clarum hoc, quod nunquam una Idea sola sit, sed quò accuratius rem sequitur, eò magis compositionem ejus in se continet. In abstractis tamen alia est ratio.
- k) Compositio & Divisio in Logicis vulgaribus dici solet.
- l) Dicitur ex Compositis vel Divisis Ratiocinatio.
- m) De rebus manifestis omnes homines eandem ideam habere debent, quam cum verbis connectant diversis.
- n) In Paradoxis Sermonibus opus est Definitione quam maxime.

perfectionis gradum, idea sub subjecto Coridon contenta determinat ideam vocis sapientissimi, ita, ut hæc vox non summum, sed sublinem tantum sapientiæ gradum hic significet. o)

### §. XLI.

Quædam res ita sunt comparatæ, ut non nisi ope sensuum percipiuntur, quarum nec orator nec scriptor ideam in nobis excitare potest, nisi negativam, donec ipsi talia sensibus percipiamus, e. g. Colores, Animalium genera. Si ejusmodi igitur occurrunt, quorum nullam habemus ideam, non accusandus est autor, quippe qui eam in nobis per verba excitare non potuit, sed in nosmetipsos culpa redundat, carentes scilicet sensatione, quæ ad excitandam ejusmodi entis in mente ideam requiritur. p)

### §. XLII.

Verum est illud, quod habet rationem sufficientem, (§. 4.) ratio sufficiens est illud, quod sufficit ad intellectum rei determinandæ; (ibid.) ista quæ dicta sunt, (§. 37.) sufficiunt ad intellectum idearum, cum verbis orationis connexarum, determinandarum, per consequens in illis est ratio sufficiens idearum sub verbis comprehensarum; (§. 4. 27.) ergo ideæ, quæ per ista quæ §. 37. edocta sunt determinantur, sunt veræ, & ex ipsæ, quas Autor orationis cum verbis connectit, (§. 37.) ex inquam, quæ verum sensum constituunt.

### §. XLIII.

Requisita veritatis simul sumpta idem significant, quod ratio sufficiens, (§. 21.) rationem sufficientem sensus continent illa, quæ (§. 37.) posita sunt. (§. 42.) Ergo eadem continent requi-

- 
- o) In Æquivocis locum habebit hæc Determinatio, quæ se mutuo Subjectum ac Prædicatum respiciant.
  - p) Hic iterum locum habet, quicquid de Imperfectione sermonis humani, de qua supra, dicitur.

requisita veri sensus simul sumta, determinantque certitudinem & veritatem sensus. q)

§. XLIV.

Quod continet requisita veritatis simul sumta, dicitur principium certum; (§. 22.) quæ §. 37. edocta sunt, continent requisita veritatis sensus simul sumta; (§. 43.) Ergo sunt principia sensus certa.

§. XLV.

De iis vero, quæ §. 38. 39. dicta sunt, observandum est, subjectum in propositione interdum sufficere ad sensum prædicati determinandum, & vice versa prædicatum sufficere ad sensum subjecti determinandum, nec minus unam vel alteram propositionem sufficere, ad intellectum alterius propositionis sensus determinandi, per consequens in subjecto vel prædicato, sive quoque in hac vel illa propositione, contineri rationem sensus alterius propositionis sufficientem, eaque propter sensum hunc vel illum verum ac certum esse. (§. 4.) Sit e. g. Propositio, Joh. I. 1. *Verbum erat Deus*; ibi idea subjecti, quæ scilicet sub voce *verbi* continetur, determinatur per prædicatum, Deus; cum enim neutiquam de attributo sive affectione non essentiali dicere queam, quod sit substantia, sequitur per *verbum* hic non significari attributum quoddam, sed substantiam, quæ substantia erat Deus, ergo sensus istius propositionis est: Substantia illa

C 2

quæ

q) Ad investigandam hanc certitudinem & veritatem Sensus facit libellus Anonymi, (HANSCHIVM esse, referunt,) paucis tantum paginis inclusus, & ed. Lips. 1727. de Arte Inveniendi, sive Synopsis Regular. Præcipuar. Artis Inveniendi, cum Praxi Regularum, in inveniendâ veritate, per Experientiam, item in Inveniendis Definitionibus, Axiomatis, Postulatis &c. in specie in explicanda S. Scripturâ, aliisque convincendis, &c. Qui è Fundamenti Philosophiæ Leibnitianæ sumtus est, & adornatus, & proposito nostro inservit.

quæ *verbi* nomen habet, Deus est; quia verò prædicatum Deus, sufficit ad intellectum sensus subjecti determinandi, ergo sensus vocis, *Verbum*, ex hac ratione verus & certus est. Eodem modo *idea*, sive sensus totius propositionis Cap. eodem I. Joh. v. 14: *Verbum caro factum est*; determinatur sufficienter per propositiones subsequentes; ibi enim inter alia, ut brevibus rem comprehendam, elucet, Johannem testatum fuisse de hoc verbo, tanquam unigenito Dei filio, qui fuit Christus, illum Jesum Christum factum esse hominem; hæc sufficiunt ad intellectum sensus propositionis allatæ determinandi, ergo sensus, per ista inventus & determinatus, est sensus propositionis verus & certus, ita ut ille sit: *Jesus Christus Unigenitus Dei Filius, qui verbi sive sapientiæ nomen habet, homo factus est.* r)

## §. XLVI.

Interdum vero fieri potest ut subjectum & prædicatum non sufficiat ad intellectum hujus vel illius sensus determinandi, tunc ex hac ratione veritas & certitudo sensus cognosci nequit. (§. 4.) Atque ex isto principio modus unicus, quo *idea* aliqua affecta est, non apparet. s)

## §. XLVII.

Ut clarius appareant, quæ (§. 45.) in medium prolata sunt, addo, prædicatum tum demum sufficere ad intellectum sensus subjecti determinandi, si prædicatum sit affectio subjecti necessaria. Cum enim talis, ut ipsa essentia, aliis sit incom-

- 
- r) Hic maxime conducit, juxta Regulas Logicas investigare Subjectum Primarium, ut inde de Subjecto vero judicemus, neque hoc cum Prædicato, sæpè transposito, confundamus. Tum verò etiam sedulo expendenda sunt Antecedentia & Consequentia, quæ est Regula Hermeneutica.
- s) Hinc neque solum hoc est remedium, in verum sensum penetrandi, sed & ad alia confugere licet.

communicabilis, t) illam non nisi de unico quodam sub-  
 jecto prædicari posse, in manifesto est, cujus idea hoc facto  
 determinatur per ideam prædicati, ita ut sensus subjecti à  
 prædicato determinatus, verus ac certus sit; (§. 4.) e. g.  
 Es. 53. v. 4. *profectò tulit morbos nostros, & suscepit in  
 se dolores nostros, ob delicta nostra vulneratus, & verbe-  
 ribus ob peccata nostra obrutus est, &c.* Prædicatum, ferre  
 dolores, verbera, morbos, pro peccatis alienis, est attribu-  
 tum Messix Essentiale; Ergo nemini aliàs communicari  
 potest; Ergo Subjectum, cujus hic enarrantur Prædicata,  
 non alius est nisi Messias. u) Si verò prædicatum haud con-  
 tinet affectionem subjecti necessariam, sed modum, aliam-  
 que subjecti mutationem, determinatio sensus non tam evi-  
 denter exinde elucet, ni conditiones atque hypothesés ad-  
 sint, quibus positis, prædicatum nonnisi unico convenire  
 potest subjecto. x)

### §. XLIX.

Sensus prædicati per ideam subjecti notam, potissi-  
 mum hoc modo determinatur. Si subjecti notio cæteras  
 prædicati ideas respuit, nec nisi unicam, quæ relinquitur,  
 admittit. Idem nobis hoc loco iterum inservire potest  
 exemplum, quod (§. 40.) adductum est, scilicet: Coridon  
 est sapientissimus; notio enim Coridonis involvit, illum  
 esse finitum ens, quod licet mediis utatur fini convenien-  
 tibus, ob finitudinem tamen non ea omnia sibi repræsen-  
 tare potest, quæ ad consequendum finem aptiora sunt, ean-  
 demque ob causam non semper præfert media magis ido-  
 nea minus idoneis, sed tantum ubi eorum habet cognitio-

C 3 nem;

- 
- t) Hoc demonstrat Celeb. WOLFFIVS §. 44. Metaph.  
 u) Id cum non satis animadverteret Eunuchus Act. VIII. 31. quære-  
 bat: *De quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio?*  
 x) Locum habet hic Canon: Talia sunt subjecta, qualia permittun-  
 tur a suis Prædicatis.

nem; ex hisce notionibus subjecti clarum est, sensum propositionis: Coridon est sapientissimus; non esse, illum Coridonem talem esse, qui semper & ubique eligit media ad finem consequendum magis idonea, sed talem: qui eligit media ad finem facientia, quæ prævidit. y)

§. XLIX.

Propositio una alterius sensum determinat, ut (1) ex una appareat, quisnam alterius sensus non sit, quod fit e. g. quando una propositio affirmat, Titium pecunia carere, alia propositio subsequens v. c. asserit, Titium divitem esse; ex quibus, ni contradictio in oratione admitti debeat, quod tamen pugnat cum regulis orationis supra traditis, facile perspicitur, vocem divitis hic neutiquam accipiendam esse, pro isto, qui abundat pecunia. z) (2) Ut vel una explicet alteram, contineatque definitionem alterius, vel una ex altera concipi queat, quo facto una principium, altera principiatum est. (§. 5.) a)

§. L.

Cum orationis in genere sit, ideas in mente Lectoris vel auditoris excitare, sequitur hoc vel illud orationis individuum hujus vel illius rei individuæ ideam excitare in mente Lectoris debere. Id cujus ideas autor orationis in nobis excitare cupit, & ad quod cæteræ ideæ tendunt, dicitur Scopus orationis. Ergo scopus orationis efficit, ut verba & propositiones reliquæ contineant ideas, unico præcise modo, & non secus affectas. Ergo cæteræ ideæ, quæ per verba orationis exprimuntur, determinantur à Scopo; (§. 35.) Ergo

- 
- y) Explicandæ ex his Orationes Impropiæ, & Poëticæ; item Propheticæ, & Mysticæ quævis, in S. Scripturâ.
  - z) Referrî huc debent, quæ in iisdem vel diversis Orationibus sibi invicem videntur adversari; ut cum nunc solâ Fide, nunc & Operibus, dicimur justificari. Qualia collegit ALTHAMMERVS.
  - a) Huc spectant æquipollentia, & Parallela per consequentiam.



Ergo continetur in Scopo ratio caterarum idearum, five sensus verborum & propositionum, quæ annectuntur. (§. 4. 36.) Quæ ratio si sufficit ad intellectum sensus caterarum propositionum determinandi, est sensus ratio sufficiens; (§. 4.) & consequenter Scopus hoc pacto principium sensus certum. (§. 5.) Utut verò unus datur Scopus sermonis ultimus, tamen & plurimi sunt Scopi sermonis intermedii, item vel generales vel speciales, qui ab ultimo determinantur, & qui determinant se invicem, ideasque propositionum atque verborum, quæ ad consequendum Scopum in oratione adjiciuntur. b)

### §. LI.

Oratio est series verborum connexorum, (§. 30.) sub oratione continentur Ideæ, (§. 32. seqq.) Ideæ sunt repræsentationes rerum in mente, (§. 33.) quæ nobis in mente repræsentamus, sunt vel notiones rerum, vel judicia, eorumque demonstrationes. c) Ergo in oratione continentur vel definitiones rerum, vel experientia, vel propositiones, earumque demonstrationes, quorum unum ob connexionem orationis (§. 39.) continetur in altero. (§. 7.)

### §. LII.

S. Scriptura est oratio, à Viris divinitus inspiratis in litteras redacta. d)

### §. LIII.

Cum S. S. sit oratio, eidem & orationis affectiones atque attributa competere, in manifesto est, nec quidam negabit; cum eadem sit oratio divinitus inspirata, (§. 52.)  
Regu-

- 
- b) Brevibus hic legi meretur DANHAVERVS in idea boni Interpretis & mal. Calumn. p. 153. edit. 3.  
c) Prolixius de hac re differit Celeb. WOLFFIUS Cap. 9. Log.  
d) Conf. Summe Ven. D. BVDD. in Instit. Theol. Dogm. Lib. I. Cap. 2. §. V. seqq.

Regulas orationis à Viris divinitus inspiratis perfecte servatas esse, & juxta eas orationem esse ab iis compositam. Cum enim ad minimum inspiratio divina, si à rebus ipsis disceris, in eo consistat, quod mentes Virorum Sanctorum determinaverit Deus, ad exprimendas ideas verbis idoneis, uti ex dogmaticis patet, perfectio orationis, quæ ex fine ejus dijudicanda est, cum in eo consistat, ut verba contineat idonea, ad excitandas in mente Lectoris vel Auditoris ideas; (§. 32.) clarum est & evidens, ea, quæ perfectionem orationis constituunt, à viris divinitus inspiratis esse observata, consequenter Scripturam S. esse aptam in mente Lectoris excitare rerum divinarum, quas tradit, ideas. e)

## §. LIV.

Cum igitur S. S. fit oratio, (§. 52.) elucet simul S. Sacram continere in se ideas determinatas, sive determinatas rerum in mente repræsentationes. (§. 34. seqq.) Nec minus exinde patet, sensum S. S. esse unicum. (§. 36.) f)

## §. LV.

Ad excitandas per orationem in mente Lectoris vel Auditoris determinatas ideas, requiritur, ut vel explicentur verba per definitionem, (§. 37.) vel ut ad minimum unum verbum & una propositio determinet sensum alterius, (§. 38.) vel ut doceat, (§. 37.) quod conjuncta sint cum verbis orationis ea idea, quæ à cæteris hominibus cum iisdem verbis connecti solent. S. S. igitur, quia est oratio, (§. 52.) quæ ut suprâ ex (§. 53.) elucet, apta est atque idonea, ad excitandas  
in

e) Vid. GLASSIVS in Philol. Sac. p. 189. edit. 3.

f) Nempè pro Scopi Unitate; adeoque Præcipuum. Aliàs quidem, ut scopi etiam possunt esse diversi, ita sensus hos sequuntur diversi, non contrarii, sed subordinati. (§. 50.)

in mente Lectoris g) ideas divini scriptoris, simul liquet, sacram scripturam aut explicare, quamnam idea cum vocibus sint conjungenda, per definitionem, aut ita connectere verba ac propositiones, ut una determinet sensum alterius, aut cum vocibus easdem connectere ideas, quas reliqui cum iisdem connectunt.

## §. LVI.

Cum vero (§. 42. seqq.) evidenter, ni fallor, demonstratum sit, sensum orationis cujusdam sufficienter determinari per definitiones, usitatasque verborum significationes, idem quadrare in S. S. quia est oratio, (§. 52.) ex collatione cum dictis (§. 55.) manifestum est. h)

## §. LVII.

Demonstratum est (§. 55.) ex §. 38. & 52. sensum quoque five ideas, sub verbis S. S. comprehensas, determinari per connexa in oratione verba, (§. 36.) qua propter & hic applicanda sunt ac locum inveniunt ista, quae §. 45. usque ad 48. inclusivè consideratum, observata sunt de modo, quomodo subjectum vel determinet sensum prædicati, vel prædicatum sensum subjecti; nec minus in sensum veniunt quae (§. 49.) de modo, quo una propositio determinat sensum

D

sum

- g) AUGUSTIN. L.I. de Trinit. c. 12. *Nullo locutionis genere uti Sacram Scripturam, quod in consuetudine hominum non inveniatur.* Hinc idem L. 2. de Doctr. Chr. c. 5. *Legentes Scripturam nihil aliud appetunt, quam cogitationes voluntatemque illorum, à quibus conscripta est, invenire. Et per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse, credimus.*
- h) Benè MAYMONIDES More Neboch. L.I. c. 53. דברה תורה בלשון בני אדם *Loquitur Lex lingua filiorum hominis. Nec aliter potest, in quantum est Epistola quaedam omnipotentis Dei, ad creaturam suam, ut nominat GREGORIVS M. Lib. IV. Epist. 41.*

sum alteritis, adjecta sunt; ex quibus §. §. simul apparet & deduci potest, quomodo eadem principia sufficiant ad intellectum sensus orationis determinandum, veritatemque sensus evincant. i)

### §. LII.

Quamlibet orationem habere Scopum, eundemque sapius sensus rationem sufficientem in se continere, veritatemque ejus determinare, (§. 4.) edoctum est (§. 50.). Cum igitur S. Scripturæ itidem orationis attributa competant, sapientissimumque Numen, Autor S. S. Scopos, ultimum intermediosque, omnium optime subordinare possit, & media scopo adhibere convenientia, certum exinde est, scopum S. S. cognitum de veritate sensus in hoc vel illo loco S. S. testari optime. k)

### §. LIX.

Oratio, uti demonstratum est, (§. 37.) quando eadem conjungit cum vocibus ideas, quas reliqui cum iisdem conjungere solent, nullas alias cum vocabulis connectere debet ideas, quam eas, quæ ex rerum ipsarum representatione in mente existunt; S. S. igitur cum sit oratio, (§. 52.) eas quoque ideas cum verbis connectit, quæ ex representatione ipsarum rerum oriuntur, quando scilicet S. S. non docet & explicat five determinat alio modo, quænam ideæ cum verbis sint connectendæ. (§. 55.) l)

### §. LX.

- i) Monstrantur hæc maximè in S. Scripturâ per Fidei Analogiam. Per hanc enim Subjectum æquè ac Prædicatum determinari debet, ita ut neutrum aliter capiatur, quàm per illam edocemur.
- k) Duplicem scopum S. Scripturæ facit AUGUSTINUS L. 3. de D. Chr. c. 10. hæc regulâ: *Quicquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscat.*
- l) CALIXT. Appar. Theol. p. 13. *Neque verò dubium est, quin utatur*

## §. LX.

Ea, quæ continentur in oratione, sunt vel definitiones, vel propositiones, & earum demonstrationes. (§. 51.) Quapropter cum S. S. sit oratio, (§. 52.) quæ sapientissimum Numen Autorem agnoscit, etiam illa veritatum genera (§. 4-ii. seqq.) in S. S. contineri, nullum est dubium. m)

## §. LXI.

Quarundam rerum ideas orationem sine culpa oratoris in mente Lectoris vel Auditoris haud excitare, (§. 41.) monuimus, quod & eodem jure ad S. S. applicandum esse duco. (§. 52.) Unde conclusio valet, simili modo S. Sacram confusam saltem & inadæquatam, imò contrariam prorsus ideam interdum in mente nostra excitare. n)

D 2

## §. LXII.

*utatur S. Scriptura vocibus, sive terminis aliis usitatis, & sensu atque significatu eo, quem in communi loquendi consuetudine obtinent. Utiq; enim hominibus loquitur, à quibus, si securus esset, intelligi non posset. - - Quod si usitata significatio non accipiuntur, sed aliã, eãque inusitatã, quero ego, unde ea significatio nobis innotescat. Certè novã opus erit revelatione, quæ nisi fingatur, nulla est. Quod si autem ista ponatur, de ratione verò revelationis sit, ut inusitato modo loquatur, tum rursus ad eam intelligendam aliã opus fuerit revelatione, & ad hanc iterum aliã, & sic in infinitum.*

- m) LACTANTIUS L. VI. Div. Inst. c. 21. Num igitur Deus, & mentis, & vocis, & lingue artifex, disertè loqui non potest? Imò verò summa providentia carere suo voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.
- n) Pergit igitur idem lactæ eloquentiæ parens l. c. Ergò qui veritati studet, abiciat inimicas ac noxias voluntates, quæ animam sibi vinciant, ut corpus cibi dulces. Præferantur verã falsis, æterna brevibus, vilia jucundis. - - Maximeque hic sensus non est ad vitium detorquendus, qui nobis ideo datus est, ut doctrinam Dei percipere possimus. Unde Christus Luc. VIII. 10. ad fideles discipulos, requisitis primis veritatis imbutos: Vos

bi-

## §. LXII.

Interpretari orationem, est invenire ideas sub oratione contentas, earundemque connexionem; quæ idea cum sensus nomine veniant, (§. 36.) Interpretis est, sensum orationis invenire. S. S. cum sit oratio, (§. 52.) sequitur interpretari S. S. idem esse, ac invenire ideas in illa contentas, earundemque connexionem. o)

## §. LXIII.

Interpretari orationem, est invenire sensum orationis. (§. 62.) p) Ergo methodo demonstrativa interpretari orationem, est invenire sensum orationis methodo demonstrativa. Ergo interpretari S. S. methodo demonstrativa, est invenire sensum S. S. methodo demonstrativâ, seu Analyticâ. (§. 62.)

## §. LXIV.

Methodus Demonstrativa est modus disponendi veritates, ita ut cum principiis certis connexæ appareant; (§. 19.)

---

*bis est datum, nōsse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Deponamus ergo præjudicia, deponamus affectus, deponamus cupiditates & consuetudines vitiosas, si volumus veritatem puram cognoscere.

- o) Vox *ἐρμηνείας*, Interpretationis, bifariam sumitur, nempe ut vel Philosophi sibi arrogat, quo pacto investigatur sensus orationis legibus aut regulis Analyticis; vel ut Oratores ei tempus impendunt, quâ ratione DEMETRIUS, Alexandrinæ quondam Bibliothecæ præfectus, libr. *περὶ τῆς ἐρμηνείας* de Elocutione, quâ res commodè exprimantur, reliquit. Vid. plura in Progr. Dn. PRÆSID. de Differentia Interpretis Philosophi atque Oratoris, Helmst. 1710. Nos priori modo hic sumere, patet.
- p) Conf. DANNHAUERUS p. II. seqq. 25. &c. in *Idea Boni Interpr. & Mal. Calumn.*

(§. 19.) Ergo methodo demonstrativa invenire q) sensum S. S. (§. 63.) nihil aliud est, quàm ita invenire sensum, ut cum principiis certis connexus appareat, per consequens interpretatio S. S. quæ fit methodo demonstrativa, tunc demùm ritè se habet, quando ita verus sensus invenitur, ut cum principiis certis connexus appareat. (§. 63.)

### §. LXV.

Principia certa rerum sunt<sup>1</sup>, quæ continent earum rationes sufficientes. Ergo interpretari S. S. methodo demonstrativa, est invenire eum sensum S. S. qui habet rationem sufficientem. (§. 64.)

### §. LXVI.

Ratio est id, quod determinat aliud, quæ sufficiens est, quando sufficit ad intellectum rei determinandæ; (§4.) invenire igitur sensum, qui habet rationem sufficientem, est invenire sensum, qui habet rationem, quæ sufficit ad intellectum sensus determinandi, ex quibus facile perspicitur, me interpretari S. S. methodo demonstrativa, quando invenio sensum, qui habet rationem, quæ sufficit ad intellectum sensus determinandi. r) (§. 65.)

D 3

§. LXVII.

- q) Non pugnant hîc invicem Methodus veritates disponendi, & sensum inveniendi. Quanquam enim illa videatur esse veritatum cognitarum, hæc adhuc cognoscendarum, aut saltem progressus à veritate quâdam cognitâ, ad alteram cognoscendam, tamen hoc nihil impedit. Qui enim sensum Orationis & sic Scripturæ S. invenire vult, necesse est, ut veritates ritè disponat, quò rectius unam ex alterâ eliciat, utut quædam cognitæ sint, quædam adhuc cognoscendæ. Sufficit Principia cognita esse.
- r) Hinc Interpretis est, probare hanc Rationem Sufficientem contra adversarios, quod secundum illum sensus aliquis verus sit, non alius. Aliàs sensum comminisci liceret, & utcunque ad eum commendandum vel determinandum differere. Sed hoc non est rationis totius sufficientiam ad probandum sensum adducere.

## §. LXVII.

Determinatio rationi conformis dicitur regula, quæ certa est, quando rationi sufficienti conformis est; (§. 4.) Cum igitur interpretari S. S. sit invenire sensum, qui per rationem sufficientem determinatur, (§. 66.) sequitur me interpretari S. S. methodo demonstrativa, quando invenio sensum S. S. secundum regulas interpretationis veras ac certas. s)

## §. LXIIX.

Regulæ igitur interpretationis cum sint determinationes conformes ejusmodi rationibus, quæ sensum orationis determinant; (§. 62. 67.) Regulæ porro cum certæ sint, quando rationes, quibus conformes sunt, sunt sufficientes, (§. 67.) sequitur, istas interpretationis regulas certas esse, quæ sunt determinationes, rationibus sensus sufficientibus conformes, sive quod idem est, quæ sunt conformes rationibus, quæ ad intellectum sensus determinandi sufficiunt. t) (§. 4.)

## §. LXIX.

Interpretatio igitur S. S. methodo demonstrativa cum fiat, dum invenitur sensus S. S. secundum regulas interpretationis certas, (§. 67.) nemo negabit, methodo demonstrativa interpretari S. S. esse invenire sensum S. S. secundum

- 
- s) Possumus huc etiam referre Analogiam, quæ si è pluribus exemplis cognita est & probata, instar Regulæ esse potest. Est verò triplex, Analogia Fidei, Rationis, & Testimoniorum aliorum seu Historiæ. CHEMNIT. P. I. Ex. C. Tr. p. 58. *Neque enim probamus, si quis tibi comminiscatur sensum, pugnantem cum totâ antiquitate, & cujus plane nulla sint Ecclesiæ testimonia.*
- t) Non enim, juxta AUGUSTINUM, regulæ illæ artis inventæ sunt ab hominibus, sed observatæ. Adeoque nec certitudo illarum aliter, quàm ab ipsâ rerum ratione determinari potuit.



cundum regulas, quæ sunt determinationes, rationibus sensus sufficientibus conformes. u) (§. 68.)

### §. LXX.

Rationes sensus sufficientes sicut orationis in genere, ita & S. S. sunt definitiones vocabulorum, (§. 42. seqq. 55. seqq.) usus verborum communis, (ibid.) sæpius subjectum & prædicatum orationis, (§. 38. seq. 45-49.) sæpius propositiones inter se invicem connexæ, (§. 49. 57.) interdum scopi orationis, vel ultimus, vel intermedius; (§. 50. 58.) Ergo cum S.S. methodo demonstrativa interpretari, sit invenire sensum S.S. secundum regulas, quæ sunt determinationes, rationibus sensus S. S. sufficientibus conformes, (§. 69.) elucet, necesse esse, si interpretari cupio S. S. methodo demonstrativa, ut inveniam sensum S.S. secundum regulas, quæ rationibus sensus S.S. allatis sunt conformes determinationes. x)

### §.LXXI.

u) Sunt ergò Regulæ instar Propositionis majoris in syllogismo, oratio explicanda instar minoris, & sensus inde repertus & ostensus instar conclusionis. Sed & in Applicatione ad Fidem & Mores Sensus dicti alicujus instar Regulæ aut Principii esse potest, quod majorem præstet propositionem, vel minorem, exemplum ipsum Fidei ac Præcos instar Conclusionis. V. gr. Christus propriè resurrexit à mortuis, ergò propriè etiam adhuc vivere, credendus est. Christus propter justitiam nostram resuscitatus est. Ergò qui justus non est, huic nihil prodest ejusdem resuscitatio. Plura vid. in Progr. de Explic. & Applic. Script. Sacr. Helmst. 1716. à PRÆS. S. Ven. edito.

x) Has rationes simul sumi in dicto aliquo explicando, non repugnat; quanquam non æquè semper appareant, sed sensim sensimque è se invicem investigandæ & addendæ sint. V. gr. in S. Scripturâ nec definitio Sacramenti, neque vox ipsa, neque numerus reperitur. Ideoque in hâc doctrinâ è Scripturis eruendâ initium fieri debet, à Determinatione Subjecti & Prædicati, item à Scopo Orationis Sacræ; scilicet, quare sint instituta Sacramenta, & quid præstent, item à quo institui debuerint, & quo pacto ille instituerit unum alterumve Sacramentorum.

§. LXXI.

Formentur igitur regulæ, conformes rationibus sensus (§. 70.) enumeratis, ut sit 1) is sensus tribuatur verbis orationis, quem Autor in definitione illis tribuendum esse voluit, sive, eæ connectantur cum verbis orationis ideæ, quas ex definitione Autoris novimus, cum iisdem connectendas esse. (§. 36. 37. 70.) 2) Si definitio expresse non adfit, conjunge eas cum vocibus ideæ, quas aut subjectum aut prædicatum, aut etiam propositiones connexæ, cum iis connectendas esse, aperte loquuntur. (§. 70. 38. seqq. 45. seqq.) 3) Eæ conjungantur cum vocibus orationis ideæ, quæ ut conjungantur, scopus orationis jubet. (§. 70. 50. 58.) 4) Si sensus orationis nec per definitiones nec per cæteras rationes determinatur, ideæ conjunge cum vocibus, quas omnes cum iis connectere solent. y) (§. 70. 37. 55. 59.)

§. LXXII.

In S. S. definitiones haud semper sunt expressæ, z) sed sæpius ex enumeratione Casuum Similium, sive talium, qui identitate affectionum gaudent, ideæ vocabulorum sunt cognoscendæ, quod posterius si contingat, ex comparatione affectionum earundem in istis casibus definitio quædam, sive

- 
- y) B. HORNEJUS de S. Scripturâ Disp. II. Sect. IV. §. 175. fqq. Quatuordecim Regulas adducit, & exemplis illustrat. Longè plures autem FLACIUS è Patribus collectas exponit Part. II. Clav. S. Script. Quæ cum sint Specialiores, ad has Generales à nobis adductas reduci possunt, ac proinde etiam ad Demonstrativas pertinent.
- z) Paucissimæ harum sunt, quæ perfectæ in Scripturis occurrant. Unde vix quatuor in N. T. ostendi solent, nempe Peccati I. Joh. III. 4. Fidei Hebr. XI. 1. Angelorum Hebr. I. 14. & Evangelii Rom. I. 16. Unde sufficit plerumque, si speciem habeant. Reliqua ex attributis addenda, aliisque circumstantiis, ut in §. seqq.

sive notio generalis distincta formetur, ex qua sensus vocum simili modo obvenientium facile dignoscitur. a)

§. LXXIII.

Loca S. S. casus similes in quibus voces adhibentur, enarrantia, vocantur parallela, cum igitur ex comparatione affectionum in istis casibus definitio generalis condenda sit, quæ ideas vocum explicat, (§. 72.) clarum est, definitiones ex locis parallelis componendas, ideasque cum vocibus connectendas, ex iis dijudicandas esse. b)

§. LXXIV.

Methodo demonstrativa interpretari S. S. est invenire sensum S. S. secundum ejusmodi regulas, quæ sunt determinationes, rationibus sensus S. S. sufficientibus conformes. (§. 70.) *Regula prima* (§. 71.) exhibita, est determinatio rationi sensus sufficienti conformis, (§. 56.) ergo qui secundum eandem regulam primam invenit sensum S. S. ille invenit sensum secundum determinationem, rationi sensus S. S. sufficienti conformem, ergo qui secundum eam regulam interpretatur S. S. ille methodo demonstrativa interpretatur S. S. c) (§. 70.)

E

§.LXXV.

- 
- a) Prolixius de hac re & ex professo differit Celeb. WOLFFIUS Cap. 2. §. 16. Logices. Nec minus Cap. I.
  - b) Vid. AUGUSTINUS de Doctrina Christiana p. 198. nec minus DANHAUERUS loc. supra cit. p. 171. seqq.
  - c) Ut eò firmior hîc sit Demonstratio, sciendum est, aliud esse Definitionem, aliud quamvis aliam sententiam. Illa non solum verum sensum effert, sed etiam totam rem complectitur, ac denique ipsum esse rei liquidò exprimere debet. At sententia satis habet, ut modo verum pronunciet, sive totum sive dimidium rei complectatur, aut tantum aliquam ejus proprietatem circumstantiamve monstret. FLAC. l. c. Tr. VI. p. 636. Ita Paulus non definit peccatum Orig. cum dicit Rom. III, 23. *Omnes peccaverunt,*

§



§. LXXV.

Determinationes, rationibus sensus sufficientibus conformes, sunt regulæ interpretationis certæ, (§. 67. 68.) ergò regula prima §. 71. annotata, est regula interpretationis certa. d) (§. 74.)

§. LXXVI.

Loca parallela eodem fere modo sensum S. S. determinant, quo definitiones ipsæ; (§. 72. seq.) cum igitur regula prima (§. 71.) ob id certa sit, quia est determinatio rationi sensus sufficienti conformis, (§. 71.) nullum est dubium, quin & regula, quæ (§. 73.) præcipit, eas ideas cum vocibus connectendas esse, quas loca parallela subministrant, certa sit, nititur enim regula prima. e) (§. 73.)

§. LXXXVI.

---

*Et destituuntur gloria Dei;* sed tantum quicquam de eo asserit, quod & peccato Actuali convenit. Utimur tamen Definitione etiam pro Sententiâ, cum à genere pergimus ad species. Neque sic heterogenea excludit.

- d) Juxta hanc regulam Methodi Definitivæ adornandæ modum præscribit FLACIUS l. c. Tract. I. p. m. 58. quam magis Artificialem quàm Naturalem appellat, & à Synthetica & Analyticâ distinguit. Sed hac, ostendit, quomodo totam Theologiam includere liceat. Adhiberi quoque alibi solet, & poni definitio, cujus deinceps voces partesque singulæ explicantur. Nos magis hinc Definitiones ad eruendum sensum Orationis vel Verborum applicandas esse, docemus.
- e) Cautelæ hæ sunt, (1) ut singulos materiæ conceptus primum è præcipuis sedibus hauriamus. (2) Ne primariis sedibus ex aliis, ubi obiter sententia eadem attingitur, præjudicium fiat. (3) Ut Loci obscuriores è planioribus, eandemque rem describentibus explicantur, sive sumantur ex iisdem, sive è diversis autoribus. (4) Ut in S. literis magis, quàm in aliis scriptis Locorum collatio adhibeatur, propter diversitatem Librorum, Autorum, adeoque & Styli, Temporis, aliarumque circumstantiarum; item propter Laconismum plerisque in locis obvium, & pro-

§. LXXVII.

Regula prima interpretationis (§. 71.) adjecta est regula interpretationis certa (§. 75.) & ex eadem ratione regula (§. 73. 76.) cum igitur interpretari S. S. fit invenire sensum secundum regulas interpretationis certas, (§. 67. seqq.) evidens est, illum, qui invenit sensum S. S. secundum regulas adductas, interpretari S. S. methodo demonstrativa. f)

§. LXXIIX.

Determinationes, rationibus sensus sufficientibus conformes, sunt regulæ interpretationis certæ, (§. 67. 68.) regula secunda (§. 71.) est determinatio rationi sensus S. S. sufficienti conformis, (§. 57.) Ergo regula secunda est regula interpretationis S. S. certâ. Demonstrativa igitur methodo & ille interpretatur S. S. qui juxta hanc regulam sensum S. S. invenit. g) (§. 67.)

E 2

§. LXXIX.

---

propter Spiritum S. qui ubique & sapientissimum & eloquentissimum se præstitit, idemque in omnibus autor est præcipuus. (5) Ut loca parallela vel propter res, vel propter sermonem adhibeamus. (6) Ut consulamus eum in finem Concordantias, maxime Textus Authentici. De his FLACIUS l. c. p. m. 35. Tract. I.

- f) Ex loco infervire potest locus Cap. 2. Ep. Pauli ad Ephes. v. 2. ubi Paulus ipse definit, quidnam intelligendum sit per τὸν ἀρχοντα τῆς ἐξουσίας τῆ ἀέρος. Addit enim apertè, quænam idea cum hisce verbis sit conjungenda, nempe τῆ πνεύματος τῆ νῦν ἐνεργῶντος ἐν τοῖς οὐρανοῖς τῆς ἀπειθείας. Quam nam autem ideam hæc ultima verba involvant, ex alio fonte constat.
- g) Benè hanc in rem FLACIUS l. c. Tr. I. p. 37. *Ad istam utilitatem collationis locorum valdè facit, quod non possumus in hoc volumine metuerè, ne usquam Scripturæ dicta inter sese pugnent: seu ne usquam earum autor dormitaverit, & minus rectè de quopiam negotio aut questione aliquid pronunciat.*

§. LXXIX.

Regula secunda, quam §. 71. descripsimus, eadem est ac illa, quæ ab interpretibus aliàs hisce verbis traditur : Oratio est ex antecedentibus & consequentibus interpretanda; regula igitur nostra secunda cum certa sit, (§. 78.) & hanc interpretationis regulam certam esse, liquet, si modo antecedentia & consequentia eo modo comparata sint, quo (§. 47. seqq.) ostendimus, quod connexa orationis comparata esse debeant, si ratio sensus sufficiens in illis quærenda sit; quo pacto simul in manifesto positum est, illum methodo demonstrativa interpretari S. S. qui invenit sensum S. S. ex antecedentibus & consequentibus. (§. 78.) h)

§. LXXX.

Scopus quando certo cognoscitur, continet rationem sensus sufficientem (§. 58. 50.) & connexionem orationis, ut ex eodem §. 50. patet, explicat. Regulam igitur §. 71. tertiam quoque certam esse, ex collatione §. 67. facile perspicitur, secundum eandem itaque qui invenit sensum S. S. methodo demonstrativa interpretatur S. S. (§. 67.) Scopus vero ipse incertus, atque vel ex verosimilibus tantum rationibus, vel ex plane nullis cognitus, nec sufficienter sensum S. S. determinare potest. (§. 27.) i)

§. LXXXI.

- h) Prolixius hanc rem tractant Salomon GLASSIUS in Philol. Sacr. p. 354. seqq. edit. 3. item DANNHAUERUS loc. jam sæpius cit. p. 188. seqq. Inprimis vero eleganter & solide de usu antecedentium & consequentium differit Vir de interpretatione S. S. & Ecclesia Christiana mirum in modum meritis, Wolff. FRANZIUS, de Interpretatione S. S. p. 7. seqq. ubi etiam p. 84. seqq. regulas huc pertinentes tradit, & exemplis rem in hoc tractatu illustrat.
- i) Conf. hoc loc. DANNHAUERUS loc. cit. p. 153. seqq. Disputat. Kiloni sub præsidio S. Rev. Henrici MUHLII habita, de Apodixi Scripturaria, Cel. RAMBACHIUS Lib. 2. Cap. 4. Inffit. Her-

## §. LXXXI.

§. 37. 42. seqq. & 56. demonstratum est, usitatas verborum significationes sufficere ad intellectum sensus S. S. determinandi, si ex aliis circumstantiis, definitione scilicet &c. sensus non alio modo determinetur, & per consequens in eo contineri rationem sensus S. S. sufficientem. (§. 4.) Regulam igitur quartam §. 71. adjunctam, esse certam, constat, est enim determinatio conformis rationi sensus sufficienti, antea adductæ (§. 67.) & per consequens illum S. S. methodo demonstrativa interpretari, qui hac regula duce sensum S. S. invenit, (§. 68.) extra controversiam positum est. k)

## §. LXXXII.

Quando nimirum S. S. ideas, quas cum vocibus conjungit, nec explicat, nec alio modo determinat, eas ideas

E 3

cum

---

Hermen. Sac. Paulus ipse Rom. X. 4. Christum appellat *Legis Finem*; ex quo patet, Christum seu Doctrinam de Christo, id esse, ad quod ultimò tendunt Scripta Moyse & Prophetarum. Sed & ad sensum Scriptorum Sacrorum determinandum, opus est, ut Finis vel Scopi Intermedii, item Specialis, ad certas circumstantias directi, habeamus rationem. Alioqui circa veritatem saltem oberramus, aut cum proximè collimanda erat, è longinquo attingimus. Quare etiam sedulo hæc attendenda, distinguenda, & suo loco applicanda sunt. Prophetæ pro Scopo Generali habent, Fidem & Virtutis studium, omnibus in locis, omnibusque temporibus commendandum. Sed & pro Speciali Descriptionem Messiae, ejusque Officii, quæ saltem ad initia Novi Testamenti spectant. Hic ergò Scopus Specialis ab Usu Generali divellatur, quem inde capiant seu Judæi cœvi, seu alii, diu ante vel post Christum viventes. Plura sunt, quæ hic occurrunt, quæ cum grano, quod dicunt, falsi accipienda sunt. Conf. etiam §. 97.

- k) Ut enim valida satis Demonstratio, si quid totidem verbis nos audivisse, testamur, ita non minus ea obtinet, si literis scriptis idem à viris probis, optimeque sentientibus, nos percipere, satis constat.

cum verbis connectit, quæ ex representatione ipsarum rerum oriuntur. (§. 59.) Interpres igitur, cujus est invenire sensum S. S. (§. 62.) tenetur non alias cum vocibus conjungere ideas, quam tales, quæ ex ipsarum rerum representatione oriuntur. (§. 36.) l)

§. LXXXIII.

Orator per verba, tanquam signa rerum, ideas in mente nostra excitat, (§. 30. seq.) signa igitur nobis nota esse debent, si idea rerum per ea in nobis sunt excitanda, signa ista ex noticia linguæ hauriuntur; Interpretis igitur cum sit ideas cum verbis, tanquam signis rerum connexas invenire, (§. 63.) necesse est, ut notitiam linguæ istius, qua oratio prolata est, m) habeat sufficientem, consequenter in interpretatione S. S. cognitionem haud mediocrem linguæ Hebraicæ & Græcæ. n)

§. LXXXIV.

- l) Correlata sunt Scriptum & Interpres, unde nullâ in rei discrepare debent, nec in sensu, nec in vocibus, nec in representatione rerum per voces; id quod ad certitudinem hujus regulæ requiritur.
- m) Hic omninò consulenda sunt, quæ R. OLDERMANNUS è principiis suis deducit Disp. de Versionum Imperfectione, Helmst. 1710. Et ipsi Scholastici in mediâ barbarie hunc defectum agnoverunt, eique per publicas Linguarum Sacrarum Professiones occurrere voluerunt. ANTONINUS AEpus Florent. Summ. P. 3. tit. 5. c. 2. *Utile est, & congruum, scire talem magistrum varias linguas, præcipuè Hebraicam & Græcam, propter Sacra Scripturæ pleniorẽ intellentionem. - - Unde Extrav. de Magistris, statuitur, quod in urbe, & in aliis locis, habeantur docentes hujusmodi linguas.* Male ergò sibi aliisque imponunt, qui necessitatem hanc spernunt, aut negant. Id potius attendendum erat, unde verum significatum Linguarum Obsoletarum potissimum hauriamus.
- n) Res à pluribus demonstrata est, & ob evidentiam non opus habet, ut prolixius hoc loco tractetur. Conf. verò potest AUGUSTI-



39 ( 20  
§. LXXXIV.

Quando S. S. non explicat ideas, quas cum vocibus conjungit, Interpretis est eas cum vocibus conjungere ideas, quas ex rerum ipsarum representatione habemus. (§. 82.) Interpres igitur rem cognoscere debet, cujus idea cum vocibus sunt conjunctæ. Cum verò S. S. multarum rerum contineat ideas, quæ ex Mathesi, Philosophia, Historia, Antiquitate, Jure &c. o) petita sunt, facile perspicitur, Interpretis, qui methodo demonstrativa interpretari cupit S. S. esse, harum rerum ex fontibus istis sibi comparare notitiam, p) & sufficienti cum ratione, juxta §. 86. ad sensum scripturæ determinandum, q) accommodare.

§.LXXXV.

STINUS de Doctrina Christiana, Lib. 2. Cap. 12. p. 85. B. Salomon GLASSIUS in Philologiâ Sacr. p. 361. seqq. Wolfgangus FRANZIUS Tract. de Interpret. p. 19. seqq.

- o) Add. etiam, quæ scribit HERONYMUS Ep. 103. ad Paulin. *Agricola, cementarii, fabri metallorum, lignorumve caesores, lanarii quoque & fullones, & ceteri, qui vanam suppellectilem, & vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse, quod cupiunt. Quod Medicorum est, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. - - Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi presumunt, lacerant, docent, antequam discant.*
- p) Contrâ hanc plurimum peccant, adeoque & Methodum demonstrativam relinquunt, qui ideas è disciplinis, antiquitate, & artibus, à scopo Scriptoris Sacri alienas, aut de quibus saltem ipse ne quidem cogitavit, intempestivè adducunt, & vi quasi quâdam ad rem torquent. Exemplis non opus est. Res ipsa disputata est, inter S. R. Dn. MOSHEMIUM & M. CLEFFELIUM, quantum ad Antiquitates Græcas; alii de aliis.
- q) In genere in Compendio vid. RAMBACHIUS loc. cit. Lib. 3. AUGUSTINUS loc. cit. Lib. 2. Cap. 28. p. 125. seqq. De historia in specie brevibus vid. DANNHAUERUS loc. jam sæpius cit. p. 154. seqq. Præceptorque meus Celeberr. LAKEN-

MA-

## §. LXXXV.

Regularum antea positarum certitudo cum ex §. 81. seqq. appareat, ille verò cum interpretetur S. S. methodo demonstrativa, qui invenit sensum ejus secundum regulas certas, suo loco, & sufficienti ratione applicatas, (§. 86. 67. seq.) evidenter demonstratum esse duco, illum, qui invenit sensum S. S. per hasce regulas, suo loco, & sufficienti ratione applicatas, (§. 86.) interpretari S. S. methodo demonstrativa. r)

## §. LXXXVI.

Non solum interpretis est invenire ideas ipsas, sub vocibus comprehensas, sed & connexionem idearum; (§. 62.) qui connexionem idearum inquirit & invenit, simul veritatum genera invenit, sub oratione contenta; (§. 4. 7.) veritatum verò genera sunt definitiones, propositiones &c. (§. 51.) ergò interpretis est, in veritatum inquirere genera, & ea invenire. S. S. cum easdem contineat veritates (§. 60. hoc modo

---

MACHERUS, in Oratione de Studio Rabbinico, à recentiorum quorundam criminationibus vindicato, ubi usus & lectio Scriptorum Rabbinicorum ob antiquitates exinde hauriendas commendatur. Prolixius, & in amplissimâ exemplorum copia, B. DASSOVIUS in Differtationibus aliquòt, & in peculiari Colleg. MSto, quod adhuc habuit Wittebergæ, antequam inde discederet. Exemplum clarissimum, ubi ideæ ex rerum ipsarum repræsentatione in mente excitatæ, cum vocibus sunt conjungendæ, peti potest ex Josuæ X. 12. 13. de Statione Solis, quod verò cum luculentissimè exponat Celeb. WOLFF. In den Anfangsgründen der Astronomie, §. 369. illum, ut hoc loco conf. commendo.

r) Regularum Certitudo facilius conceditur, quàm Applicatio, cum in hac etiam alibi, imprimis in Practicis, plerumque aberretur à scopo.

modo etiam Interpretem S. S. eas dijudicare debere, in manifesto est. s)

### §. LXXXVII.

Regulas certas, de dijudicandis veritatibus, Logici præscribunt; t) & qui secundum ejusmodi regulas certas de veritatibus in S. S. judicat, earundemque connexionem ostendit, etiam hoc modo interpretatur S. S. methodo demonstrativa. (§. 67. 62.)

### §. LXXXVIII.

Multitudo veritatum inter se connexarum dicitur systema, qui igitur veritates S. S. secundum regulas certas dijudicat, earundemque connexionem invenit, ille systema rerum divinarum, in S. S. manifestatarum, simul invenit. (§. 87.) Systema rerum divinarum, ob salutem hominum in S. S. revelatarum, dicitur analogia fidei; & qui per regulas certas veritates S. S. inter se connexas invenit, analogiam hoc pacto fidei certam invenit. u)

### §. LXXXIX.

Illi, qui S. S. interpretari volunt methodo demonstrativa, tenentur, ut veritates S. S. inter se connexas inveniant secundum regulas certas; (§. 86.) veritates S. S. inter se connexæ vocantur analogia fidei. Qui igitur vult interpretari S. S. methodo demonstrativa, debet analogiam fidei ex ea eruere, secundum regulas certas. x)

F

§.XC.

- s) Has veritates universales esse debere, & necessarias, nisi committere velit interpres *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*, aliunde notum est. Aliàs fallit, quæ vocatur, connexio. Vid. §. sequ.
- t) Cum brevitati studeam, adduco tantum Celeb. WOLFF. Cap. 9. Log.
- u) Vid. supr. §. 62. 67. 86. lqq.
- x) Conf. DANNHAUERUS p. 167. seqq. loc. cit. RAMBACH. in Herm. Sacr. Lib. 2. Cap. I.

## §. XC.

Quædam in S. S. ita sunt comparata, ut Divinum Numen eorum in nobis excitet ideam, saltem incompletam & inadæquatam. Interpretis igitur cum sit, invenire ideas cum verbis æquè ac intentione scribentis vel dicentis connexas; (§. 62.) alias exinde eruere, haud studeat, quàm quas Deus, ut exinde hauriamus, voluit. y)

## §. XC I.

Hac igitur ratione ideam de methodo demonstrativa interpretandi S. S. tradidi distinctam, eo quidem modo, quo ob vires nondum satis exercitatas hoc fieri potuit, subministravi principia sensus S. S. certa, (§. 30-61.) & exinde ostendi, (§. 62-90.) quomodo sensus ex iis inveniri, & cum iisdem connecti possit verus ac certus. (§. 3. seqq.)

## §. XC II.

Vt vero eo clarius idea methodi demonstrativæ interpretandi S. S. ante oculos ponatur, & ut ex ejus præstantia facilius & distinctius necessitas & utilitas eandem adhibendi eluceat, pauca adhuc adjungam de Methodo Interpretandi S. S. Probabili, aut potius monstrabo brevibus, quomodo ea quæ suprâ (§. 20-30.) allata sunt, sint applicanda ad methodum interpretandi S. S. probabilem. Ne vero limites disputationis transgrediar, sed instituti rationem ha-

beam,

---

y) Locum habet hæc regula in rebus planè Theologicis, Mystericisque Divinis, in quibus Fides saltem conceptum nostrum *τῆ ὄρι* supponit, nec quicquam admittit, nisi quod verba proximè efferunt; v. gr. I. Joh. V. 7. sq. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo; Pater, Verbum & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, & Aqua, & Sanguis, & hi tres unum sunt.* Item Joh. III. 7. 8. *Ne mireris, quod dixi tibi: Oportet vos nasci denuo; Spiritus, ubi vult, spirat &c.*

beam, quædam tantummodo adducam exempli loco, ex quibus  
facili negotio idea methodi interpretandi S. S. probabilis co-  
gnosci potest, si tantum dicenda cum dictis (§. 20. seqq.)  
comparentur.

### §. XCIII.

Methodus igitur probabilis cum consistat in modo ali-  
quam rem ita disponendi, ut cum requisitis veritatis quibus-  
dam sive cum principiis probabilium connexa appareat, (§. 25.)  
cum eadem methodus probabilis non differat à Demon-  
strativa, nisi quod in ista principia contineant tantum qua-  
dam veritatis requisita, quæ in hac omnia requisita sive ra-  
tionem sufficientem rerum continent, (§. 26.) ex §. 62. &  
analogia eorum, quæ §. 63. seqq. de methodo interpretandi  
S. S. demonstrativa dicta sunt; liquet, methodum interpre-  
tandi S. S. probabilem esse modum inveniendi sensum S. S.  
ita ut cum principiis probabilium, sive cum quibusdam ve-  
ritatis sensus requisitis connexus appareat. z)

### §. XCIV.

Ad interpretandam S. S. requiruntur regulæ, quæ cer-  
tæ sunt, quando sunt conformes rationi sufficienti, sive re-  
quisitis veritatis simul sumtis, & interpretatio S. S. si ad ea-  
rum normam fit, demonstrativa est; (§. 67. seq. §. 21.) cum  
autem quædam requisita veritatis non determinent hoc vel  
illud sufficienter, (§. 20.) & ea quæ haud sufficienter deter-  
minantur, sint probabilia, (ibid.) sequitur, sensum per qua-  
dam veri sensus requisita determinatum, esse sensum solum  
probabilem; determinationes verò ejusmodi rationibus  
sensus haud sufficientibus conformes, sunt regulæ interpre-  
tationis probabiles. (§. 67.) Et si regulæ vel maximè certæ  
sint, connexiones autem rerum in Scripturis occurrentium

F 2

haut

z) Differunt tamen hæc requisita numero invicem & gradibus,  
ita ut major aut minor probabilitas inde nascatur. (§. 21. 28.)

haut æquè evidentes, necessaria, ac certæ appareant, conclusiones inde vel sententiæ nihilominus nascuntur probabiles. (§. 85. 86. 87. 27.) a)

§. XCV.

Quod si compares cum iis, qua supra §. 67. seqq. de methodo demonstrativa disserui, facile ex analogia perspicies, methodum interpretandi S. S. probabilem nihil aliud esse, quam modum inveniendi sensum, S. S. secundum regulas interpretationis probabiles.

§. XCVI.

Multi fere plerumque hac utuntur methodo; in primis Judæi, & olim quoque Scholastici plures, & illi qui Coccejanorum castra sequuntur, talem interpretationem sapius arripere solent, quæ speciem tantummodo veri sensus præ se fert, & tamen pro certâ venditant. Ast non tantum illi, sed & multi alii ex ejusmodi sapius principiis interpretantur S. S. quæ non nisi sensum produnt verosimilem ac probabilem. Exemplo quoque notabili nobis esse potest modus interpretandi ex affectu Autoris & Scriptoris. Ad veritatem sensus ex affectu Autoris eruendi requiruntur sequentia veritatis requisita. (1) In hoc vel illo scribendi intervallo Autorem fuisse in affectu constitutum. (2) Autorem in hoc vel illo affectus individuo fuisse constitutum. (3) Scriptorem hunc vel illum affectum certo quodam dicendi genere expressisse. Quorum requisitorum si unum alterumve tantum adsit, regula interpretationis, quæ jubet ex affectu Scriptoris interpretari orationem, sit tantummodo probabilis. (§. 20. 94.) Sapissimè verò vix unicum ex istis:

a) E. gr. Verba sumuntur in sensu usitato. Certa & necessaria est regula. (§. 82.) Ergò Regnum Cœlorum, de quo Servator Matth. VIII. II. in cœlo sperandum est, quod nunc quidem tale esse, ex aspectu & rationibus constat. Id quod verò adhuc disputari potest.

istis requisitis nobis cognitum est; ergo facile exinde perspicitur, quid de interpretatione hoc modo ex affectu Scriptoris factâ judicandum sit. Accedit, quodlibet horum requisitorum plerumque haud sufficienter determinari, sed tantum probabiliter cognosci. b) Vnde porro patet, ipsa saepe requisita esse probabilia, & per consequens etiam ex hac ratione sensum tantum determinari probabilem. (§. 27.) Qui igitur ex affectu Scriptoris Divini interpretatur S. S. plerumque non nisi methodo probabili ejus sensum invenit. c)

§. XCVII.

§. 80. jam monui scopum quidem notum sufficienter determinare sensum Scriptoris, & hac ratione ex scopo interpretationem S. S. fieri methodo demonstrativa, simul autem observavi eum interdum non satis certe cognosci, & ibidem demonstravi ex §. 27. scopum probabilem sensum ipsum certum reddere, sive sufficienter determinare non posse. Quæ si hic applico, conclusionem rite se habentem producant: Qui ex scopo haud sufficienter determinato interpretatur S. S. ille interpretatur S. S. tantum methodo probabili. (§. 27. 93.) d)

§. XCVIII.

Multa adhuc addere possem, ex quibus plerumque S. S. interpretari solent, licet talis interpretatio tantum fiat probabilis, nec nisi veritatis speciem ingemique acumen præ se ferat. Interpretantur S. S. plerique hac ratione, ut

F 3

eruant

- b) Hæc facili possunt cognosci negotio, inspiciendo regulas, quæ de indagatione affectuum plerumque traduntur. Vid. e. g. RAMBACH. in Herm. Sac. de indagatione affectuum.
- c) Si tamen huic adminiculo accedunt & alia certiora, unâ cum his egregiè facit ad perfectum sensum indagandum. Et B. LUTHERUS, neminem Psalmos Davidicos intelligere, nisi qui hujus Affectum rectè induat, dicere solitus est.
- d) Hic omnino locum quoque habent, quæ in Not. (i) ad §. 80. subjunxi.

eruant sensum interdum minus probabilem, quem nihilominus pro certo jactant. Inprimis adjicere possem, quæ de emphasibus certarum vocum aut literarum, aut si quid his annexum est, e) sapius sine demonstratione proferri solent; sed instituto contrarium agerem, quo ea tantum afferre volui, quæ ad differentiam methodi interpretandi S. S. demonstrativæ, & methodi interpretandi S. S. probabilis, indicandam faciunt. Quod cum, ut opinor, satis superque factum sit, & reliqua, quæ forsitan adhuc obvenire possent, ex principiis universalibus supra traditis facili negotio judicari queant, dicta prolixiori applicatione carere posse arbitror. Addam potius brevibus, quæ de utilitate methodi demonstrativæ interpretandi S. S. differendi animus erat.

### §. XCIX.

Methodus demonstrativa interpretandi S. S. efficit, ut verum divinorum scriptorum sensum invenire queamus; (§. 91.) sensus S. S. est complexus idearum in S. S. contentarum; (§. 36.) Si igitur verum S. S. sensum invenimus, veras simul ideas divinorum scriptorum invenimus, nec alienas ipsis ideas tribuere & affingere necesse habemus. Prima igitur utilitas, primumque commodum, quod ex methodo interpretandi S. S. demonstrativa in nos resultat, in eo consistit, ut verum inveniamus divinorum scriptorum sensum, f) nec ipsis alienam mentem affingamus. §. C.

e) Idem de his fermè obtinet, quod de Affectibus dictum est §. 96. Nempe aut frustra sunt voces aut apices, horumque repetitiones, aut non fallit Christus, cum dicit Matth. V. 18. *Unus apex non præteribit de lege.* Et frustra potius inanes in Scripturis quaruntur *ταυτολογίαι*, sine ratione & emphasi positæ, contra quas disputat merito S. Rev. D. CLAUSING. Disp. de *ταυτολ.* Criminatione Lips. 1721. At non ubique constant satis rationes aut Emphases, sed sæpè probabili solum ratione afferuntur, utut exigua, nisi aliis quoque argumentis comprobentur.

f) Exemplo sunt Berrhoenses Act. XVII. π. καὶ ἡμεῶν ἀνανεῖ-  
νοντες



## §. C.

S. S. quod hic aliunde demonstratum suppono, à Divino Numine inspirata est, eandemque ob causam dicta ejus vera ac certa sunt; dictum divinum sive S. S. hoc vel illud proprie tunc demum appellare possum, quando easdem cum illo conjungo ideas, quas Divinus Scriptor eum eodem connectebat. Interpretatio igitur, quæ fit methodo demonstrativa, eum efficiat, ut ideas veras & ipsius Divini Scriptoris cum dictis S. S. connectere valeam, (§. 91.) sequitur, me tunc demum revera dicere posse, me habere S. S. dicta, si methodo demonstrativa sensum S. S. inveni. *Dicta verò S. S. sive Dei ipsius, rectè intellecta, loco principiorum certorum ad veritatem demonstrandam, & ulterius eliciendam inserviunt*; quæ insignis quoque est utilitas, ex interpretatione S. S. quæ fit methodo demonstrativa, proveniens. g)

## §. CI.

Sensus S. S. est unicus, quem scriptor divinus intendit; (§. 36.) quod si igitur verum S. S. sensum per interpretationem methodo demonstrativa factam inveni, inveni simul unicum illum S. S. sensum, à divino scriptore intentum, quo facto liquet & demonstratur, reliquas ideas, quæ ab interpretibus cum S. S. connectuntur, & longius ab intentione Scriptorum Sacrorum abluunt, non esse ideas divini scriptoris, nec sensum S. S. Consequenter vel *falsitas vel saltem probabilitas interpretationis dissentientium ob oculos ponitur*; quæ tertia est utilitas, ex methodo interpretandi S. S. demonstrativa promanans. h) §. CII.

*νοῦτες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι τὰῦτα ἕτως, quotidie scrutantes Scripturas, an ea ita sese haberent.*

- g) Ita Christus Matth. XXII. 7. ex illo dicto Ex. III. 6. meritò elicere poterat Resurrectionem Mortuorum contra Sadducæos; ut & ad ejus imitationem facit Paulus Hebr. XI. 16.  
h) Ita Christus Matth. I. c. 29. statim redarguit dissentientes, *Erratis, iniqui, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

## §. CII.

Et ut cætera taceam commoda, optime hoc modo falsæ à veritatibus divinis arcentur hypotheses; Interpretes enim, qui interpretatur S. S. methodo demonstrativa, cum veritatum divinarum investiget genera, (§. 86. seqq.) & *Systema veritatum divinarum ex S. S. eliciat, falsas, facile demonstrare potest, esse hypotheses illas, quæ cum hoc Systemate connecti nequeunt*, i) siquidem id contra essentiam Systematis est, si quædam in illo occurrunt, quæ sibi contradicunt, aut inter se connecti nequeunt. (§. 88.)

## §. CIII.

Methodus igitur demonstrativa interpretandi S. S. cum utilitate sua sese commendat, haud credo fore quenquam, qui vitio mihi vertere velit, quod sententiam meam de tam utili re hac brevi dissertatione indicaverim, ejus possibilitatem, ideam ipsius tradens, demonstraverim, & usum commendaverim. Spero potius atque confido, eos quibus religio cordi est, diligenter esse daturus operam, ut ita scrutentur Sacras literas, tanquam firmiorem sermonem Propheticum, 2. Petr. I. v. 19. indagentque, quomodo in Christo sint omnes thesauri sapientiæ reconditi, Col. II. v. 3. ut, atque cognoscant variam Dei sapientiam, Eph. III. v. 10. Non dubito quin hisce rationibus commoti omnes boni, omnes intensus sint nervos, omnemque diligentiam in id collocaturi, ut ea, quæ ego adhuc juvenis inexercitatus in hac dissertatione affirmandi feci periculum, si emendanda sint, emendent, illustrent, confirment, applicent. Deus Pater Domini nostri Jesu Christi det nobis Spiritum Sapientiæ, & illuminatos oculos, ut eum è verbo suo verè ac certò agnoscamus.

i) Postulat hoc Paulus Rom. XII. 6. per *ἀναλογίαν τῆς πίστεως*, seu *Fidei Connexionem* ac *Systema*.



ad 32

EO.-Bj. 2002

01 A 6727

ULB Halle

3

003 104 745



WA

Rha





rum culpam in nos transferbat: Sed & cum mens nostra virtutes suas exserere non possit, nisi excitatis prius in sensuum organo Ideis, id etiam argumentum exinde fluit, ne, ubi simplicius alii sentiunt, aut nobis sentire videntur, de rebus, quas nos exactius dignoscimus, vel gloriari de nostra cogitatione maiori, vel contemnere alios ob minorem, suscipiamus.

*Epilogus.*

§. XLIV. Animus erat subicere quadam sub finem de Cogitationibus mentium separatarum, Angelicarum, Ipsiusque DIVINÆ. Sed ea nunc in aliud tempus ac locum seruamus. Diuina tamen Cogitationes cum non nisi nostram ac supremam salutem concernant ac ab æterno decesserint, pro hac de Cogitationibus Diatriben cum Dauide Epiphonemate concludimus ex

Psalmo CXXXIX. v. 17. 18.

לִי מִתְיָקָר רֵעִי אֵל מִה עֲצַמּוֹ רְאִישֵׁיהֶם : אֲסֻפְּרָם  
מִחֹל יִרְכֹּן הַקְּרָצִי וְעֵרִי עִמָּךְ ;

Atque ex Psalmo XL. v. 6.

נִבְרָת עֲשֵׂית אֵתָה יְהוָה אֱלֹהֵי נַפְלֵי אֲתִירָה וּמִחֻשְׁבֵּתִירָה אֵלֵינוּ  
אֵין עֵרֵךְ אֵלֵירָה אֲתִירָה וְאֵתְכֵרָה עֲצַמִּי מִסֻּפֵּר :

§. L. In vberioris tamen Discursus materiam sequentia adicere placet Epimetra.

1. Longe absurdius Homo de Diuina, quam
2. Prima supremi Entis adfectio est, vt sit comprehendi.
3. Vera mali eiusque permissionis causa e
- linque natura non deritari modo debet sed
4. Prouidentia atque ipsa Inspiratio Diuina sacri Codicis textus veritatur, sed & circa omnes
5. Peccati in Spiritum Sanctum irremissib
- Impenitentia, sed tamen a fidalis penitentia it
6. Corruptio Ecclesie non a tequioribus
- mox tempore, quo Christiani non conuersi sed

ad Sch

DISPVATIO THEOLOGICA  
DE  
DEMONSTRATIVA  
SCRIPTVRAM SACRAM  
INTERPRETANDI  
METHODO

QVAM  
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

JON. CONR. SCHRAMMIO

S. S. THEOL. D. ET P. P. O. CELEBERRIMO  
ACADEMIÆ IVLIÆ NVNC VICE-  
RECTORE

AD D. APRILIS MDCCXXIIX.

IN SIZIO MAIORI

